Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

erecte mediam occupent terram. ac
deinde procedente paulatim sole.
et ipse paulatim deflectantur in oc
casum. usque dum apparente aurora.
penitus inclinate dispereant. Ideir
co autem terrarum umbre sydera usque
non pertingunt. quia sol maior terre
creatus. acuminatam facit umbram
ipsam. que antequam sydera pe
tat. deficiat. et solis splendor
circum terras undique diffusus. libere
sydera que illustret. aspiciat.
Nox ergo est uita presens. sol iusticie
xpc. Cuius lucem nobis sepe concupi
scentie terrene moles. ne uideatur
abscondit. et quando recedit. iuste distric
tus a nobis. tantum obscuramur.
quantum redit propitius. tantum illus
tramur. Vera autem eius luce tunc frue
mur. cum inclinatis iam ac discus
sis omnibus presentis erumne. ac ceci
tatis tenebris. uidebimus eum sicu
ti est. Qui tamen nostre potentia me
mor salutis. nequaquam noctem
uite huius prorsus obscuram reliquit.
sed uelut in celo stellas figens.
sanctorum nobis exempla per que inof
fenso pede nostri operis incedere
mus proposuit. Vadam ad montem
myrre. et ad collem turis. In myr
rha mortificatio carnis. uel pas
sionum properitate tolerantia. in
ture deuotio celsi petax orationis
exprimitur. Mons autem myrre.
et collis est turis. ipsa sublimitas
mentis eorum. qui et carnis uiriliter luc
tamina uincunt. et ad amorem ce
lestium se ardentius subleuant. Ad
quem profecto montem collemque uadit dominus.
quia illorum corda qui uirtutibus student
sepius inuisere. atque inhabitare
dignabitur. Hinc dicit. inhabita
bo in illis. et inter eos habitabo.
Laudans ergo ecclesiam dominus. et singula
uirtutum eius enumerans. repente
infert. uadam ad montem myrre.
et ad collem turis. Quod est apte dicere.
frequentabo eos. et ipsa propitius
glorificabo. quos in passionis siue
orationis uirtute sublimes esse sus
picio. Veniam sepius. et mansionem ap
eos faciam. quos et ab inquinamento cor
poris se mundare. et ipsos perficere sancti
ficationem in diuino timore conspicio.
Non quod eam quam laudabat desere
re. atque ad alios ire proponat. sed quia
nouos cottidie populos. eidem eccle
sie aggregare. et eam per mundum
omnem dilatare. disponit. Nec
incongrue forte possunt hec quia
ad ecclesiam sermo est de gentibus
de synagoge uocatione. que
in fine futura est. intelligi. Red
dit enim responsum desiderio eius quo
superius inuento illo aiebat. Ten
ui eum. nec dimittam. donec in
troducam in domum matris mee.
Et proximo quidem uersiculo docu
it. quod cum ecclesia gentium non sit unquam
dimissura eum ante. duo ubera